

8.14.23

*Idem AA. et CC. Macedonio.*

Maiores annis viginti quinque pignoris conventionem remissa,  
cum hoc solum pactum vel iurisdictio secundum ipsius voluntatem tueatur,  
persequi non potest.

*S. XVII k. Ian. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]

8.14.24

*Idem AA. et CC. Marco.*

Persecutione pignoris ommissa debitores actione personali convenire  
creditor urgeri non potest.

*S. XV k. Ian. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]

8.14.25

*Idem AA. et CC. Dracontio.*

Servo, qui fuerat pignori obligatus, defuncto debiti permanet integra petitio.

*S. VII k. Ian., Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]

8.14.26

*Idem AA. et CC. Mauricio.*

Si tibi notarium pignoris titulo debitor tuus obligavit, eum, a quo mancipium  
abreptum proponis, apud rectorem provinciae conveni.

*S. VI k. Ian. Sirmi CC. cons.*

[a. 294]